



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

2 In quo loco fuerint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

cum in Scriptura dicitur, Christum descendisse ad inferos, non intelligi de Sinu Abrahamæ. Ex quo vltorius infert, illud beneficium, quod Christus contulit, qui erant in inferno, illuc descendendo, & soluendo eos à doloribus inferni, non esse collatum illis Patribus, qui erant in Sinu Abrahamæ, sed quibusdam alijs. Et hinc tandem concludit, se nescire, quid Christus descendendo ad inferos, Patribus existentibus in Sinu Abrahamæ contulerit, & potius sentit nihil contulisse. Sed ex hoc non potest inferri, Augustinum sentire, illos Patres antea vidisse Deum, aut non recepisse hanc visionem post passionem Christi & propter ipsam, quia Augustinus hoc non dicit, sed solum ait, propter hunc effectum non fuisse necessarium descensum Christi, & ideo ablata alia necessitate descendendi propter soluendos dolores inferni, concludit se non inuenire, quid suo descensu Christus his Patribus contulerit. Hanc vero esse mentem eius constat ex ratione quam reddit: Cum enim dixisset, *Quia euidentia testimonia & infernum commemorant, & dolores, nulla causa occurrat, cur illo credatur venisse Saluator, nisi vt ab eius doloribus saluos faceret*: postea sic infert. Vnde illis iustis, qui in Sinu Abrahamæ erant, cum ille ad inferna descenderet, nondum quid contulerit inuenio: Nimirum quia non soluit eos à doloribus. Et quia dicere posset aliquis contulisse eis visionem beatam, ad hoc excludendum subdit hæc verba. *A quibus eum, secundum beatificam præsentiam suæ diuinitatis nunquam video recepisse*. Vbi non dicit eos fuisse semper beatos, sed eum per diuinitatem, & beatitudinem suam, & per propriam essentiam semper fuisse illis præsentem: quasi diceret, ad communicandam eis hanc beatitudinem non fuisse necessarium illuc descendere. Hæc de mente Augustini. Nam de re ipsa postea dicemus, quamquam vno etiam verbo dici posset, Augustinum in tota illa epistola, inquirendo potius & dubitando, quam affirmando processisse, & ideo obscure, ac dubitanter esse loquutum. Ad Iustinum respondetur falso citari, nam potius eo loco indicat neminem ante generalem resurrectionem videre Deum, quod ab Ecclesia iam damnatum est, de qua re alibi.

Ad tertium cum Paulus dicit, *Adepti sunt reprobationes*, de temporalibus reprobationibus loquitur, vt communius expostores intelligunt. Quod si admittere velimus expositionem Anselmi ibi citatam intelligendum est, Paulum loqui respectu temporis in quo ipse scribebat. Nam iam tum Patres antiqui adepti erant reprobationes quoad animæ beatitudinem, non vero de tempore ante Christi aduentum.

Ad quartum ex ratione sumptum, iam ferè responsum est: comparatio autem, quæ fit inter remissionem peccati, seu gratiam, & gloriam, non est eiusdem rationis. Quia gratia & remissio peccati erat simpliciter necessaria ad salutem: gloria vero poterat sine incommodo æternæ damnationis aliquo tempore differri, vt dixi etiam in superiori tomo, disp. 41. Sect. 1.

SECTIO II.

In quo loco fuerint Sanctorum animæ ante Christi mortem.

Luc. 16.

Aug.

De hoc loco in Scriptura solum habemus appellari Sinum Abrahamæ, Luc. 16. Factum est, vt moreretur etiam mendicus, & portaretur ab Angelis in Sinum Abrahamæ, & infra expresse dicitur in eodem loco fuisse Abrahamam. Ex quo rectè colligit Augustinus, dicta epist. 99. ibidem fuisse alios iustos Patriarchas, & Prophetas, & absurdum existimat de hoc dubitare. Vnde lib. de anima, & eius origin. c. 15. definit Sinum Abrahamæ intelligendum esse, Remotam sedem quietis, atque secretam, quæ dicta est Abrahamæ, non quod ipse tunc

ibi sit, sed quod ipse pater multarum gentium sit positus, quibus est ad imitandum fidei principatum prepositus: sicut & Deus Abraham se Deum vocari voluit, cum sit innumerabilem Deus. Quo autem loco, seu in qua parte orbis situs sit hic Abrahamæ Sinus in Scriptura non videtur expressum. Quod autem non sit in inferno, sentit Augustinus, Epist. 57. & dicta Epist. 99. Et fundamentum eius est. Quia infernus in Scriptura sacra semper sumitur in malam partem pro loco dolorum ac tormentorum: Sinus autem Abrahamæ dicitur esse locus quietis, & consolationis, & veluti cuiusdam beatitudinis. Et confirmatur: nam Luc. 16. condistinguntur Sinus Abrahamæ, & infernus, sic enim dicitur. Factum est vt moreretur mendicus, & portaretur ab angelis in Sinum Abrahamæ: mortuus autem est & diues, & sepultus est in inferno. Et inferius dicitur magnus chaos firmatum esse inter vnum, & alium locum, Vnde quidam existimant esse locum aliquem celestem: alij esse paradysum terrestrem: alij vt Augustinus refert lib. 4. de Virg. c. 15. putant non esse locum animarum, sed partem quandam animæ ipsius Abrahamæ, quod satis ridiculum est, vt ibidem ipse dixit, qui etiâ lib. 8. Gen. ad li. c. 5. dubitat quid Sinus Abrahamæ sit. Origenes autem super Ioannem circa illa verba, *Erat autem vnus ex discipulis Iesu recubens in sinu ipsius, metaphoricè Sinum Abrahamæ interpretatur*.

Dicendum verò est primò, locum in quo animæ sanctæ detinebantur vsque ad Christi mortem, quem Sinum Abrahamæ vel Limbum sanctorum Patrum appellamus fuisse in inferioribus partibus terræ. Conclusio hæc certa est, quæ primo probari potest ex modo loquendi sacre Scripturæ. Nam Genes. 37. ait Iacob, *Descendam ad filium meum Iugens in infernum*, Quo loco (quidquid hæretici contendunt, vt postea videbimus) non potest inferni nomine sepulchrū intelligi. Primò, quia nec vox Latina hoc proprie significat, nec vox Hebræa *שְׁאוֹל*, cuius loco Septuaginta veterunt *ἄδης*, quod significat gehennam, non *τάφος*, quod significat sepulchrum. Secundo, quia cum Iacob dicat se descensurum ad filium suum, non loquitur de corpore, sed animam, quia secundum corpus non erat descensurus ad sepulchrum filij sui, non enim erat in eodem loco sepeliendus. Præsertim cum putaret filium fuisse à fera pessima deuoratum: descensurum ergo se dicit secundum animam ad locum Sanctorum Patrum, in quo (sine dubio) filium suum esse confidebat. Dicit autem se descensurum in infernum, est ergo locus ille subterraneus, atque in inferioribus terræ partibus constitutus. Quin potius addo, si interdum in Scriptura veteri nomine inferni significatur mors, vel sepulchrum, vt Iob 7. & alibi, ideo esse, quia tunc per mortem omnes animæ, in aliquem inferni locum descenderant. Vnde reuera non tam sepulchrum vocatur infernus, quam ipsa mors, vocatur descensus ad inferos. Præterea de eodem loco idem Iob loquebatur, cura Genes. 42. & 44. dicebat. *Deducetis canes meos cum morore ad inferos*, vt Chrysostomus exponit hom. 4. in Marcum, & bene Hieronymus Ecclesiastes 3. vbi adiungit eundem locum optasse Iob cap. 14. cum dicebat, *Quis mihi tribuat, vt in inferno protegas me?* Quod in eundem sensum exposuit Gregorius. Moral. capit. 6. alias 7. & lib. 13. capit. 16. & 17. simili modo exponit illud Iob 17. *Si sustinuerò, infernus domus mea est*.

Et confirmari hoc potest ex 1. Regum 28. vbi anima Samuelis visa est de terra ascendere quasi existens prius in inferiori loco. Quamquam enim Augustinus lib. 2. ad Simplicianum quæstion. 3. & lib. 8. de quæstionibus ad Dulcimum quæst. 6. dubitaue- rit, an illa verè fuerit anima Samuelis, & multi id negauerint, vt Tertullianus libro de anima capite 57. & Iustinus, quæstione 52. ad Gentes, & Augustinus libro 2. de mirabilibus sacre Scripturæ, capite 11. & lib. quæstionum veteris testamenti quæst. 27. & habetur

Augustinus.

Luc. 16.

Augustinus.

Origenes.

Ioann. 13.

Sinus Abrahamæ, in qua terra parte fuerit.

Genes. 37.

Inferni nomen in Scriptura quid denotat.

Iob 7.

Genes. 42. & 44.

Chrysostomus.

Hieronymus.

Iob. 14.

Gregorius.

Iob. 17.

1. Reg. 28.

Augustinus.

Tertullianus.

Iustinus.

Augustinus.

habetur

betur in capite, Nec mirum, 26. quæst. 5. Et lib. 2. de doctrina Christiana capite 24. vocat imaginem Samuelis, & ita refertur in capit. Illud, 26. quæst. 2. Sic etiam Hieronymus Matth. 6. vocat Samuel phantasma; eodemque modo sentit, ac loquitur Rupertus lib. 2. de operibus Trinitatis in libro Regum, capite 17. & Anastas. Nyssen. lib. 8. originum cap. 9. Nihilominus, illam fuisse veram animam, verius est: tum quia Scriptura dum potest commodè, simpliciter ac propriè debet intelligi, præsertim in historia, ac sæpè repetita narratione, qualis est in præsentio loco, qui propriè potest sine incommodo intelligi. Quid enim obstat, quin voluerit Deus in supplicium Saulis Samuellem illi vere apparere, ut illum reprehenderet, ac mortem illi prædiceret? Tum etiam, quia Ecclesiasti. 46. inter B conomia Samuelis ponitur, quod post mortem prophetauerit. Propter quod testimonium Augustini. lib. de cura pro mortuis agenda capite 15. & 16. sententiam mutauit, & D. Thom. prima parte, quæstio. 89. artic. 8. ad 2. dicit. Si Ecclesiastici auctoritas admittatur (ut omnino admittenda est) dicendum esse, Samuelis animam verè apparuisse Sauli. Ad quod alludens Ambros. lib. primo in Lucam capit. de Zachariæ turbati confirmatione, dicit. Samuel post mortem secundum Scripturæ testimonium futura non tacuit. Et eandem sententiam docet Iustinus Martyr dialogo cum Tryphone. Vnde verisimile fit, (quod multi viri eruditi putant) librum illum questionum ad Gentes non esse Iustini. Et idem videtur sensisse Basilii Epistol. 80. citatur etiam Hieronymus in capit. 7. Isai. & 13. Ezech. Sed hæc loca in vtramque partem afferri possunt, sicut & verba illa Nazianzen. oration. 3. quæ est prima aduersus Iulianum, Samuel per ventriloquam trahitur, aut trahi videtur. Denique Ioseph. lib. 6. antiquitatum. cap. 14. alias 15. ita planè Scripturæ historiam intellexit. Quo sensu supposito, optimè etiam ex verbis Samuelis confirmatur conclusio posita. Dixit enim Sauli, Cras tu, & filij tui mecum eritis; id est, in loco inferni, seu sub terram. Ita enim generatim loquutus est, quia fortasse Saul, & filij eius non omnes ad eundem locum subterraneum descenderunt. Vltimo probari posset conclusio illis testimonijs Scripturæ, quibus dicitur Christus ad inferos descendisse, de quibus postea dicemus.

Secundo principaliter probatur conclusio Patrū D testimonij, communij Ecclesiæ consensu. Vniuersa enim Ecclesia ita sentit de loco antiquorum Patrum, vnde in Hymno Ascensionis canit.

*Inferni claustra penetrans,
Tuos captiuos redimens, &c.*

Sicque exponit Irenæus lib. 4. ca. 45 & 66. quædam verba quæ dicuntur fuisse Ieremiæ propheta, & ab impijs Iudæis expuncta (quod incertum est.) Verba autem sunt. Recordatus est Dominus Sanctorum mortuorum suorum, qui prædormierunt in terra limo: descendit ad illos. Idem Iustinus Martyr dialogo cum Tryphone, Chrysof. homil. de Lazaro, & diuite, vbi Sinum Abrahamæ vocat Paradysum in inferno existentem. Basil. in id Psal. 48. sicut oues in inferno positi sunt. Cyril Alexan. lib. primo de fide ad Reginas. capit. Quod Christus sit Deus ex Matth. Vbi propter hanc causam dicit, In Christi morte infernum Sanctorum animas emittere compulsum esse. Idem sentit Origenes lib. 2. Periarch. versus finem, & optimè Augustinus lib. 26. de Ciuitate cap. 15. Atque idem docent multi ex Patribus citatis in prioribus probatione ex Scripturis, & plures alij, quos commodius in sequenti disputatione referemus.

Tertio potest adiungi ratio ex ordine diuinæ sapientia, & iustitiæ desumpta, non enim expediebat

Fr. Suarez. tom. 2.

animas illas à corporibus separatas, & extra viam constitutas super hanc terræ superficiem manere, quæ locus est viatoribus hominibus deputatus: & ideo extra paradysum terrestrem collocari debuerunt. Quia & pro hominibus viatoribus creatus fuit, & propter peccatum primi hominis, pro quo nondum fuerat satisfactum, ab illo eiectione erant. Preterea ille locus deliciarum non erat aptus neque proportionatus animabus, quæ adhuc in carcere detinebantur. Et propter eandem causam non fuit expediente eas in celum ascendere, præsertim Empyreum, vbi proprius locus Beatorum est. Iuste ergo ac sapienter locus illis sub terra consignatus est.

Dices cum animæ separate non sint corporeæ, non indigebant loco corporeo. Quod argumentum sæpe habuit dubium Augustinum, ut videre licet lib. 12. Genes. ad liter. cap. 32. & alijs. Respondetur tamen, hoc argumento probari posse, neque damnatas, neque purgandas animas esse in locis corporeis, imo neque beatas. Dicendum est ergo (quamuis multi aliter sentiant) non posse animam separatam existere in mundo, quin sit realiter præsens in certo aliquo, ac determinato loco corporeo non sario est. quod in illo sit corporeo modo, id est, replens illum quantitatis mole: sed quod sit ibi realiter præsens, & indistans: distans autem ab alijs corporibus, quæ in locis distantibus existunt. Illud ergo spatium corporeum, in quo anima est realiter præsens, vocamus locum eius, siue propriè, siue metaphorice dicatur locus, quod nihil ad præsentem veritatem spectat.

Secundo dicendum est, hunc locum, seu Sinum Abrahamæ esse partem quandam inferni: cæteris omnibus superiorem. Ut intelligatur, & probetur hæc assertio supponendum est, iuxta quatuor status animarum, aliquo modo pœnales, qui fuerunt ante Christi mortem, quatuor distingui à Theologis in 4. d. 45. loca subterranea, quæ circa terræ centrum esse censentur, & ideo inferna vocantur ab Philipp. 2. celestium, terrestrium, & infernorum, vel inferiores partes terræ: ad Ephes. 4. & Ecclesiastic. 24. & Apocalip. 5. dicuntur esse sub terra. Quædam enim animæ sunt perpetuo damnatæ propter propriam mortalem culpam, & hæc sunt in infimo loco, qui per antonomasiam infernus dicitur Luc. 16. Sepultus est in inferno, Matth. 11. vsque ad infernum descendens. Isai. 54. & Numer. 16. sunt optima loca. De quibus videri potest Hieronymus in Isai. & ad Ephes. 4. & Euphian. in Ancor. à medio. Aliæ sunt animæ iustæ purgandæ tamen aliqua pœna ignis, & hæc locum distinctum requirunt, cum in sanctitate, & iustitia extremè distent ab alijs animabus, quamuis propter participationem pœnæ ignis viciniam locum postulare videantur. De quo loco, & de situ eius in quarto tom. huius tertiæ partis Deo iuuante dicemus. Aliæ sunt animæ damnatæ propter solum originale peccatum, & hæc propter carentiam pœnæ ignis diuersum locum ab vtrisque numeratis requirunt: & quia nec iustæ sunt, ut cum iustis collocari debeant, nec tam prauæ, ut societatem aliorum damnatorum mereantur, quia nec Deū odio habent, neque blasphemant, neque (ut existimo) inordinate viuunt: sed licet fide careant, secundum rationem naturalem rectè viuunt, de quo loco, & statu in prima secunda, vbi de peccato originali agitur, latius distulerit. Nunc sufficiat testimonium Concilij Florentini in literis vnionis, vbi locum harum animarum in inferno collocat. Aliæ denique fuerunt animæ iustæ nulla purgatione indigentes: tamen propter naturæ impedimentum, vsque ad Christi mortem, quasi in carcere detentæ, ac beatitudine priuatæ. Eæ igitur quartum locum requirunt distinctum à cæteris vel propter carentiam pœnæ ignis, vel propter sanctitatem animarum, & spem certam beatitudinis, vel propter vtrumque.

Op 3

Statim

Anima separata alicubi præsentem necesse est.

Sinum Abrahamæ partem quandam inferni superior.

Philipp. 2. Ephes. 4. Ecclesiastic. 24. Apoc. 5. Luc. 16.

Hieron. Rupert.

Anast. Nyssen. Isidor.

Anima Samuelis vere ac propriè Sauli apparuit. Eccl. 46. August. D. Thom.

Ambros.

Iustin. Martyr.

Basil. Hieron. Gregor. Nazianzen.

Ioseph.

Iren.

Isai. Mart. Chrysof. Basil. Cyril. Alex.

Origen. August.

Dubium.

Responsio.

D. Thom.

Richard.
D. Thom.
Scot.Inferni Si-
nus, & re-
fusus varij.Gregor.
Iob. 17.

Zachar. 9.

Statim verò occurrebat in hac enumeratione difficultas vulgaris de homine discedente in peccato originali, & actuali tantum veniali. Sed de hoc alias, multi enim negant posse hominem in hoc statu mori, vel quia ex natura rei repugnat in hoc statu esse, vt D. Tho. Prima secund. q. 89 art. 6. vel quia licet possit homo esse in hac vita in hoc statu, nunquam contingit in eo mori, Deo fortasse id specialiter providente. Alij verò admittendo huiusmodi statum etiam in anima separata, dicunt huiusmodi animam ad infimum locum inferni pertinere, quia perpetuo aliqua poena ignis puniunda est, vt Richard. in 4. d. 45. artic. 1. quaest. 2. vbi id significat D. Thom. facta dicta suppositione q. 1. art. 3. ad 6. Alij verò cum Scot. putant maculam illam posse purgari in purgatorio. De qua re quid sentiendum sit, in praedicto loco prima secundae tractandum est, & infra in materia de poenitentia aliquid attingemus.

Secundo obseruandum est, incertum esse, & haecenus non satis explicatum quo situ, & ordine haec loca collocentur: & an contigua sint, vel quantum inter se distent, & quibus terminis claudantur, ac denique an inter ea sint interiecta aliqua solida corpora, quibus secerantur. Sed quia in quarto tomo in materia de purgatorio iterum de his redibit sermo, ideo in eum locum haec omnia remittimus. Quia ferè praecipua difficultas huius rei consistit circa ordinem, quem inter se seruant Purgatorium & Limbus puerorum. Nam si consideretur conditio locorum, quatenus vnus requirit ignem, & non alius, videtur purgatorium debere esse inferno propinquius. Si vero spectetur dignitas locorum, quia in purgatorio sunt animae iustae, videntur esse debere in loco magis ab inferno remoto. De extremis vero locis nulla est difficultas: nam gehenna omnino debuit esse in loco infimo: tum propter maius demeritum, & deteriorem statum personarum ibi existentium: tum etiam quia sicut meritis, & de desperatione maxime distant à beatitudine, ita etiam & loco distare debent. Quartus vero locus (de quo agimus) propter easdem causas superior alijs omnibus existimatur. Primum, quia animae ibi existentes erant iustae, & omnino mundae: deinde quia minus distabant ab statu, & spe beatitudinis: vt ergo seruetur proportio inter locum, & locatum, meritumque & praemium, vel poenam, oportuit has animas in superiori, & honoratiori loco collocari, & hoc aliquo modo potest confirmari ex Luc. 16. vbi inter gehennam, & Sinum Abrahæ magnum chaos esse dicitur. Erat ergo hic Sinus multo eminentior & superior. Vnde Chrysostomus. homil. de diuite in Lucam, notat, Lucæ. 16. dici de diuite existente in inferno eleuasse oculos suos, vt Lazarum videret, tanquam in superiori loco existentem. Quod notauit etiam Tertull. lib. 4. cont. Marcion. c. 34. & Gregor. libr. 12. moral. c. 6. sic inquit. Nec tamen ita iustorum animas ad infernum dicimus descendisse, vt in locis penalibus tenerentur: sed esse superiora inferni loca, esse & alia inferiora credenda sunt, vt & in superioribus iusti requiescent, & vt in inferioribus iniusti cruciantur. Et lib. 13. cap. 17. tractans illa verba, In profundissimum infernum descendunt omnia mea, dicit, quamuis Iob descensus non esset nisi ad hunc locum animarum sanctarum, qui ceteris locis inferni superior est: vocari tamen illum profundissimum, respectu cæli, & terræ. Ex his ergo satis probata est conclusio posita, plura verò de hoc loco inquirere, scilicet: quoniam corpore repletur ille locus diaphano, vel opaco aere, vel terra, an esset tenebrosus vel lucidus, vel familia superuacaneum est hæc inuestigare. Quia omnia hæc sunt nobis incognita: solum possumus affirmare ibi non fuisse aliquod corpus, quod poenam inferret sanctis illis animabus, & verisimile est aere fuisse plenum, & propterea vocari Zachar. 9. Lacum, in quo non erat aqua. Est item verisimile non fuisse luci-

dum licet contrarium sine probatione doceat Turrian. libr. 4. pro Epist. Pontificijs ca. 12. Probari vero potest ex Augustino. 12. Gen. ad liter. c. 34. licet ille locus exponi possit de luce spirituali. Itaque loquendo proprie de corporea luce quod dixi, videtur probabilius. Tum quia modus loquendi Scripturæ hoc magis indicat, vt Iob 18. Si sustinueris, infernus domus mea est, & in tenebris stravi lectulum meum. Isai. 49. Vt diceret his, qui vñ sunt, Exite: & his, qui in tenebris sunt, Reuelamini. Quod de sanctis Patribus in Limbo existentibus recte intelligitur. Tum etiam quia naturaliter ibi esse non potest lux corporea, & supernaturaliter fieri, neque illis animabus necessarium erat, nec pro ratione sui status eius debebatur. Et hanc sententiam docuit Anselmus in elucidario iuxta finem, Bernard. sermone. 4. de omnibus Sanctis, & significat Gregor. super Iob loco citato, eamque supponit D. Thom. in 3. distinct. 22. quaest. 2. artic. 2. qu. 1. Ric. a. 3. q. 1.

Ex his facile soluitur ratio dubitandi in initio posita. Quando enim Luc. 16. Sinus Abrahæ ab inferno distinguitur, nomine inferni significatur gehenna, id est, infimus locus ex quatuor enumeratis. Ad Augustinum vero responderetur, eo loco dubium fuisse, quia nondum affectus fuerat veritatem: alij tamen locis agnouisse Sinum Abrahæ fuisse apud inferos quod dicit expresse 20. de Ciuit. c. 15. & in id Psalm. 85. Eduxisti animam meam ex inferno inferiori. Ad rationem autem, quæ aliquando Augustinum mouit, recte respondet hic D. Thom. art. 1. ad 1. infernum significare locum poenæ, & hoc modo etiam comprehendere Sinum Abrahæ, quia erat veluti carcer, & in eo aliquam poenam, & moerorem patiebantur animae sanctæ, vt diximus.

ARTICVLVS I.

Utrum fuerit conueniens, Christum ad infernum descendere.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod non fuerit conueniens, Christum ad infernum descendere. Dicit enim Augustinus in Epist. ad Eudodium. nec ipsos quidem inferos respiciam scripturam in bono appellatos potius respicere. Sed anima Christi non descendit ad aliquod malum: quia nec anima iustorum ad aliquod malum descendunt. Ergo videtur quod non fuerit conueniens, Christum ad inferos descendere.

2. Præterea. Descendere ad inferos, non potest Christo conuenire secundum diuinam naturam (quæ est omnino immobilitas) sed solum conuenire potest ei secundum naturam assumptam. Ea vero quæ Christus fecit vel passus est in natura assumpta, ordinantur ad humanam salutem, ad quam non videtur necessarium fuisse, quod Christus descenderet ad inferos quia per passionem suam, quam in hoc mundo sustinuit, nos liberauit à culpa, & pena, vt supra dictum est. Non igitur fuit conueniens, quod Christus ad infernum descenderet.

3. Præterea. Per mortem Christi separata est anima à corpore eius, quod quidem in sepulchro positum fuit: vt supra habitum est. Non autem videtur quod secundum animam solam ad infernum descenderet: quia anima, cum sit incorporea non videtur, quod localiter possit moueri: hoc enim est corporum vt probatur in sexto physice. descensus autem motum corporalem importat. Non ergo fuit conueniens, quod Christus ad infernum descenderet.

Sed contra est quod dicitur in Symbolo. Descendit ad inferos. Et apostolus dicit Ephes. 4. Quod autem ascendit, quid